



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

4. Dies Maii. Impietas est, unum Deum non colere, aut nunquam coluisse, autquem colebat, demisisse. Augustinus super Psal. 50.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

Majus.

Tessera.

337

dicitur defunctis : Lux perpetua luceat eis : nunquam
eris in cœlo particeps illius lucis, nisi fueris in terra a-
micus crucis : ex præfatis exurget hæc veritas :

Menti major erit lux, major quo fuerit crux.

4. DIES MAII.

Impietas est, unum Deum non colere,
aut nunquam coluisse, aut quem cole-
bat, demisisse. *Augustinus super Psal. 50.*

Impietas I.
in Deum.

HÆc informis tessera, prode-
cujus sis classis : in quacum-
que accensearis, necesse est,
impieus censearis. Quot sunt in
mundo vani homines, utinam tantum vani, & non
insigniter impii, qui cum sint à Deo, studiosius tamen
colunt agrum quam Deum : qui neque Dei unquam
reminiscuntur, ut ei serviant, neque ejus imperii, ut
illi obediant, neque pauperum, ut illis succurrant,
neque vitæ suæ, ut eam corrigant, neque conscien-
tiæ, ut eam expient, quibus sola ad vivendum dux est
corrupta natura : & sic pecudum ritu in pastum se
totos abjiciunt; unumque illis est opus, scelera
sceleribus accumulare; unus labor, Deum execran-
dis flagitiis ad iracundiam provocare; adeoque cœ-
lum, & terram abominabilibus criminibus infestare.
O si quis es talis, omni ex parte es ipso qui est deter-
rimus, dæmone deterior; si spectes naturam, est
extra controversiam; si mores, si acta, & illud extra
omnem dubitationis est aleam. Etenim dæmonis

Pars II.

Y

per-

perditio , unica fuit cogitatio : cogitationes meae quibus offendi illum , qui ab aeterno de me non habuit nisi cogitationes pacis , sunt numero plurimae , e-
normitate maximae : his adde totidem verba , deside-
ria , opera : operam perdes si velis ea ad calculum re-
vocare . Tantum ergo distat mea ab illorum malitia ,
& quantum unitas a numero in numero !

II. Non hinc sisto . Esto : daemones etiam peccaverint , non tantum supra numerum arenae maris , sed pec-
cata eorum fuerint infinita numero , meum vero non
nisi sit unicum ; etiam sic longo eos post me inter-
vallo relinquo , eosque malitiam incomparabiliter pra-
cedo . Offenderunt illi peccando . Quem ? Deum : sed
non Deum qui pro illis factus est Angelus , qui pro il-
lorum salute , a caelo se demisit ad terram ; non Deum
pro se flagris immaniter concisum , cruci atrociter
affixum , cruciatibus omnibus saevè dilaceratum ,
non Deum qui se illis praebuit in cibum : non Deum ,
qui 33. annis pro illis in sudore vultus laboravit , qui
illis rectè vivendi tot illustria tradidit praecpta , pra-
buit exempla . At tu Deum offendisti in te usque ad
prodigalitatem quasi liberalem , usque ad nudita-
tem pro te pauperem , usque ad sudorem sanguinis ,
pro te anxium , usque ad effusionem lacrymarum
pro te tristem , usque ad mortem crucis pro te Patri
obedientem : usque ad pavorem pro te sollicitum ,
usque ad finem vitae tui amantem . Erga tantam Pie-
tatem esse impium , si frontem haberet , ipsam pude-
ret Impudentiam .

III. Plus ultra . Non tantum peior es daemone
sed ipso qui fuit pessimus , daemonum principe : in-
ter homines vero , peior pessimorum pessimo , ipso
Juda

Majus.

Tessera.

339

Juda; qui Christum quidem vendidit, & prodidit, sed nondum mortuum vidit. Pejor es ipso Antichristo, qui non toties, nec tantum, ut tu, experietur in se Christi amorem, Dei favorem. Quid jam tibi superest misero, ne pereas miserè, quàm ut te conferas ad illum, cui proprium est misereri? Tu fuisti monstrum multiplex, habens oculos basilisci, caput aspidis, unguis leonis, & immanitatem draconis: projice te ad pedes Christi ut ambulet super te aspidem, & basiliscum, ut te conculcet leonem, & draconem. Scilicet pejor Caino, cave tamen tibi ingemines verba Caini: (a) *Major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear.* Jam non tantùm magna, sed maxima est iniquitas, desperare propter iniquitatem. Fateor mereris veniam, sed illam non est meritus nisi per Christi merita. Sufficit illius vel unicum suspirium cordis pro salute totius orbis. Aude ergò sperare. Quid? eritne infirmior divinus amor, quàm humanus? debiliior charitas, quàm concupiscentia? levior amor tui, quàm amor mei? Amor mei potuit Deum contemnere, cur amor Dei me penitus non poterit contemnere, & ad inferos detrudere? Illud ambio, modò sum exfors culpæ, non formido omnia mala pœnæ. Est enim malum super omne malum, displicere summo bono: illi displicet omnis impius. Nam

Patri cœlesti nunquam placere scelesti.

Y 2

1. DIES

(a) Gen. 4. 34.